vero breve temporiſ spatio cum ap-
propinquaret eſtaſ moverunt in
manu potenti florentini et prope
castrum predictum per dieſ quindecim
residere construenteſ hedificia plu-
rima super eo licet per ipsa parum
dampnificaverint adversanteſ. De-
mum devastatiſ omnibuſ et combustiſ
sunt ad propria florentini reversi.
Non enim florentia quievit a comite
quotidie pulsata nec comeſ vixit
in otio sepe repulsuſ. Adveniente
vero tempore yemiſ dum venti
flarent et regioni friguſ incipe-
ret dominari quidam florentini
quodam mane credenteſ silicet
castrum poſſe capere per insul-
tum per loca non arida sed aquo-
sa venerunt spiniſ et tribuliſ
plena inusitata penituſ et extra-
nea. castrum illud noctu potentes
intrarunt. lupiſ in silva ullulanti-
buſ quasi mille presenſ tempuſ
vaticinantibuſ et futurum ad